

Finis coronat opus

Fabellae ejusdem exempla duo, alterum latine gnaris abhinc triginta annos a Joanne Carolo Rossi compositum atque in commentariis Vaticanis quibus index Latinitas vulgatum, alterum ab Ivana Milani tironibus callide aptatum qui methodo Orbergiana instituti usque ad Familiae Romanae scholam XIV pervenere.

Quibus ex exemplis cognosci potest quomodo in simpliciorem formam scripta nimio artificio composita in usum tironum redigi possint.

Callida vulpes et gallina stultula

Callida vulpes fame compulsa ad gallinarium accessit.

C.V. Tux tax.

G.S. Quis pultat fores?

C.V. Ego, vulpes callida!

G.S. Ecquid vis? Numquam aperiam vulpibus, omnium beluarum voracissimis.

C.V. Nequid timueris, non equidem esurio.

G.S. Vulpes non modo voraces, verum etiam mendaces esse probe novi: fores non aperiam.

C.V. At ego vulpes veridica sum, neque gallinas voravi umquam.

G.S. St, sile, amplius te non audiam.

C.V. O gallinula, blandula, dulcicula, oro te atque obsecro, fores aperi: suave erit utrique.

G.S. Nullo aperiam pacto.

C.V. Me gallinas omnes beneficiis cumulaturam esse polliceor.

G.S. Si nostrum nullam tetigeris...

C.V. Medius fidius, dispeream si quemquam vel primoribus labiis attigero!

G.S. Intra igitur, pessulum deduxi.

At vulpes callida simul ac introivit, gallinam stultulam voravit primam et: «Semper – inquit – mihi habui persauasum gallinis mentem esse galinaceam...».

Fabula narrat illos periclitari, quicumque praeconibus atque adulatoribus fidem habent.

(Joannes Carolus Rossi)

Ad tirones lectio (multo) facilior eiusdem fabulae

Fames ducit callidam vulpem ad gallinarium, et ianuam pulsat.

C.V. Tux tax.

G.S. Quis pultat ianuam?

C.V. Ego, vulpes callida!

G.S. Quid cupis? Non aperio vulpibus, quae omnia devorant... voraces tam quam lupi et leones... omnium beluarum voracissimae.

C.V. Cur metuis? Noli timere! Nam fames mihi non est.

G.S. Vulpes non solum voraces, sed etiam mendaces sunt, neque verum dicunt: ianuam non aperio.

C.V. Sed ego, quamquam vulpes sum, verum dico, neque gallinas devoro.

G.S. St, tace, quia te audire nolo.

C.V. O gallinula, humana et dulcis, te oro, ianuam aperi: hoc bene est et mihi et tibi.

G.S. Minime! Non aperio!

C.V. Vobis omnibus, gallinae, multa dona portare volo. Hoc promitto!

Rif.: Familia Romana, cap. XXXV

G.S. Si nullam gallinam voras...

C.V. Pro deum! Non dentibus, ne labiis quidem tangere gallinam cupio!

G.S. Intra igitur, ianuam iam aperio.

Vulpes callida statim, intrans, gallinam stutulam vorat et dicit: «Gallinis cerebrum est gallinaceum... Hoc omnibus notum est».

Hoc fabula docet: in periculo sunt illi, qui mendacibus rhetoribus credunt.

(Ivana Milani)

Vocabula difficiliora

- callidus, a, um ↔ stultus, a, um
- gallinarium est locus ubi vivunt gallinae
- vorax, -acis = qui vorat, devorat
- mendax, -acis = qui falsum dicit
- praeco, onis = qui merces praedicat